



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Nucleus Coppensteinus Conceptuum Prædicabilium In Dominicas Festaque omnia per Annum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiæ, 1624**

In Festo S. Iosephi Nvtricii Iesv Christi. Cum esset desponsata Mater Iesu  
Maria Ioseph. Matth. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51556)

norius III. tit. de Sort. cap. vltim.

Judæis rameis multus sortium vsus erat: Vt Num. 33. in diuisione terra promissa: in ministerio Sacerdotum & ianitorum. 1. Par. 24. in electione Saulis, 1. Regum 9. Item, Ios. 14. Acham; Ionathas quoque 1. Reg. 14. & Ionas, cap. 1. sorte ad mortem sunt deprehensi. Ex sortes, Prouer. 15. mittebantur in sinum, sed à Domino temperabantur: vel vt Hebræi legunt: exibat illarum iudicium.

2. Metaphorice, Sortes quidam exponunt. Vt sortes dare sit declarare ex Deo occulte inspirante: vt in creato Saule & Sacerdotibus factum. Ita Luc. 1. Zacharias sorte exiit, vt poneret incensum. Sic, Isa. 33. Idumæa brutis fuit sorte data in vastationem.

Alij nolunt Sortes dare, esse petere signum sensibile à Deo. Ita Num. 17. Aaron factus est sacerdos signo florentis virgæ: ita Ioseph factus est Deiparæ sponsus: S. Fabianus columba in caput eius insidente fit Papa: Ambrosius episcopus, &c. Ita igne de celo patuit, Gen. 4. Abeli sacrificium placere Deo: Item, Iudic. 13. Manuæ: item Eliæ 3. Reg. 18.

Hi tres sensus sortis Dei assistentiam habebant: primus, Deo sorte temperante: alter, Deo cor inspirante: tertius, Deo sensibilibiter ostendente. Et hæc de S. Matthæ ingressu in Apostolatam. Petro de eiusdem progressu, Egressuque loquitur Historia vitæ & passionis illius.

IN FESTO S. IOSEPHI NVTRICII IESV CHRISTI.

Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph. Matt. 1.

Ioseph, Gen. 40. celebratur tum à Castitate, tum à Fide Domino præstita, somniorum interpres. Celebrior Ioseph Mariæ custos, Angelorū dignus alloquio.

Nos itaque

- I. Quod sua cuique sit gratia sufficientia.
- II. Iosephi gratia ex eo, quod sponsus Mariæ.
- III. Item, quod Pater Christi nutricius fuerit.
- IV. Variæ de S. Iosepho.

PARS I.

Quod sua cuique sit sufficientia gratia.

- I. Sufficientem cunctis, ad quodcumque munus à se vocatis, dat gratiam Deus:
2. Cor. 3. qui idoneos nos fecit ministros Noui Test. per, Ro. 8. primitias spiritus quem accepimus. 1. Exod. 3. Quis ego sum, vt radam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Aegypto? Cuius Deus: Ego ero tecum Exod. 6. En, incircumcisus labiis ego sum, quomodo audies me Pharao? Cui Dominus: Ecce constitui te Deum Pharaonis. 2. Ieremias cap. 1. A, a, a, Domine Deus, ego nescio loqui; quia puer ego sum. Et Dominus: Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas. &c. Et rursus: Ne formides: Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum. &c.

Ita est, vt Philosophorum fert axioma: Qui dat esse, dat & que consequuntur ad esse. Id si in natura: magis in gratia: quia vtriusque Autor idem; & in gratiam tanto propensior, quo hæc natura superior.

Ita dedit & Iosepho gratiam parem suæ vocationi: que quanta, esse sponsum Matris Dei, Nutricium Christi? Dixit: Quis ego sum. &c.

PARS II.

Gratia Iosephi ex eo, quod sponsus esset, Deiparæ.

- I. Psalm. 67. Mirabilis Deus, in Sanctis suis: at in Iosepho hoc mirabilior, quo ipsius singularior desponsatio: cui paria quoque

LII. 2.



quoque gratiarum dona haud dubie collata fuere. 1. Si enim Eccles. 26. *Mulieris bona beatus vir*: & Eccl. 25. *Beatus qui habitat cum muliere sensata*: quæ aut bonitate, aut sapientia præ Deipara extitit. *Nec primam similem visa est; nec habere secundam.* 2. Si Eph. 1. *Vir caput mulieris*: iam vel ipsa Virgo Mater debitum marito suo detulerit honorem: Hocque amplius, quod Angeli etiam ei, vt capiti, fugam in Aegyptum, indeque reditum denunciarint.

*Cherubini est.*

3. Exod. 31. *Duos Cherubim aureos, & productibiles facies ex vtraque parte Oraculi, respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiatorium.* Christus est, Rom. 3. *quem proposuit Deus Propitiator per fidem in sanguine ipsius.* Virgo hinc & hinc Ioseph Cherubini sunt ardentissimi: vtriusque vox, Cant. 7. *Ego Dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

II. Cherubinus est Ioseph inter viros tantus, quanta B. V. M. inter mulieres benedicta; quod Mater fit Christi: is, quod Pater fit eiusdem. Pares ambo natalibus regni, similes & donis spiritalibus fuerint.

*Ab vtero sanctificatus.*

Hoc potissimum nixus fundamenti Gerson docuit; quem & sequuntur plures; S. Iosephum, ceu Ieremiam, ab vtero matris sanctificatum fuisse, inque gratia confirmatum; vt vel isto aliquanto similior foret Deiparæ sponsus.

*Nec peccauit m.*

Sane S. Aug. & Rupertus Abbas aiunt, nunquam eum mortale delictum commisisse. In quo superior Apostolis, proximus fuit Deiparæ.

*Virgo perpetuus.*

S. Hieronymus est autor, eum perpetuam conseruasse Virginitatem. Sunt, qui die Ascensionis eum cum anima & corpore surrexisse, celosque petisse dicant. Hoc constat quod Ioseph, cum esset IVSTVS, &c.

*Similia fuit Maria.*

Magnus S. Elisabethæ honor, quod visitata semel ab S. Maria: Magnus S. Ioanni Euang. quod ipsi Dei commendata pa-

rens: maior ab vtroque S. Ioseph. Sive illud coniugum: Gen. 2. *Faciamus adiutorium SIMILE sibi*: Scilicet vt in morum animorumque similitudine charitas coniugalis solidius confiter: plane negandum nõ est, per magnam inter hocce par Coniugum similitudinem voluisse DEVM, & fuisse. Quin Ipsa suam quasi imperfectum aperit: *Nigra sum*: At *Dilectus meus Ioseph candidus, & rubicundus electus e millibus*. Sicque ipsa eum prædicat: cum tamen defectus vxoris potius sint excusandi, quam mariti.

Abrahæ feruus, Gen. 24. donis variis donata Rebecca, iniquum censebat eius parentes ac fratres indonatos relinquere: DEVS hanc Rebeccam despondens, Iosephum non magnis donasset? Vel hoc donum quantum: deligi in seruum Deiparæ? 1. Reg. 25. Beatam se Abigail censuit seruire Dauidi: *Ecce, ait, Famula tua sit ancillam, vt lauet pedes seruatorum Domini mei.* Ad hanc autem B. V. M. Matrem Domini ita omnes Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli respectarunt, vt serui eius minimi. Quanto ipsi præ cunctis interior suus fuerit Iosephus?

### PARS III.

#### Varia de S. Iosepho.

**E** Vr autem Deipara ei nupserit, dan- tur causa. 1. Ne Filius notus crederetur. 2. Vt nutritium haberet. 3. Vt eius incarnatio diabolus lateret. Hanc S. Patres assignant ex S. Ignatio.

Deinde quoad Deiparam. 1. Ne innotata pariens notam incurreret ac pœnam, iuxta Deut. 22. Lapidationis. Sic Ambr. 2. Vt haberet adiutorem, ducemque peregrinationis. Sic Hier. in Matth. 3. Vt ex Iosephi stirpe etiam de Deiparæ constaret progenie.

Demum quoad nos: 1. Ambr. in Ln. Vir-



Virginitatis Marianæ locupletior testis ma-  
ritus adhibetur, qui posset & delere iniuriam,  
& vindicare opprobrium; si non agnoscerent  
sacramentum. 2. Ob mysterium: A virgi-  
ne nupta ortum peccatum: à nupta orire-  
tur remedium. 3. Vt ita sanctitas Matri-  
monij innotesceret contra venturos Ma-  
nichæos.

*Alnus eum*  
*quæ.* II. Neque decrepita ætas sat recte Io-  
sepho tribuitur, ad fidorem Virginis cu-  
stodiam: cum etiam senibus in fit salaci-  
tas: & iuuenibus multis eximia castitas.  
Neque sat consultum Virginis honori  
per senem; cuius impotentia suspicio-  
nem de grauida aperuisset. Hinc similior  
vero sententia, quæ quadragenarium as-  
ferit sponsum, in Euangelio semper Vi-  
rum, non senem, appellari solitum.

Itaque infirma & obscura mundi ele-  
git Deus; vt confundat fortia: Sicut Za-  
charias, cap. 1. *Vidi, ecce, quatuor cornua*, quæ  
4. regna orbis ventilarent; aiebat An-  
gelus: qui mœsto mox ostendit 4. fabros, vt  
deiciant cornua gentium: S. Ioseph Faber, fit  
sponsum, vt obturet ora maledica, &c.  
B. V. Prou. 31. *facta est quasi Nauis institoris,*  
*de longe portans panem cœli*: Eius nauar-  
chus Ioseph.

*Quam dicit*  
*2. reg. 7.* III. S. Augustinus putat eum 30. annis  
cum B. V. superuixisse, inque monte Ga-  
rusim adorasse resurgentem: sic com-  
pletum Iosephi somnium, Gen. 37. quod  
sol & Luna, Ioseph, Maria & Apostoli  
Christum adorarint. Rectius tamen plu-  
res sentiunt, eum sub initium prædica-  
tionis Christi, diem obiisse.

## P A R S IV.

De gratia Iosephi ex eo, quod Pa-  
ter esset.

*Maiores est*  
*Adam.* I. Vc. 2. Ego, & PATER Tuus dolentes.  
Magna reuerentia & dignitas Pa-  
tris Christi. 1. Adam creatis cunctis no-  
mina indidit; Ioseph Christo; Luc. 2. Vo-

catis nomen eius IESVM. 2. Laus est & gloria  
Deo. Psalm. 146. *Qui memorat multitudi-  
nem stellarum; & omnibus eis Nomina vocat.*  
Ergo & Iosepho; qui Nomen Deo impo-  
suit. 3. Ipse IESVS eum obedienter ho-  
norauit: quia Luc. 2. *Erat subditus eis.*

4. Pharao Iosephum, Gen. 41. *Fecit ascen-  
dere super currum suum, clamante pracone, vt  
omnes coram eo genu flecterent, vt conserua-  
tori, &c. Iustus is honor debetur nostro*  
Iosepho, nutricio *Panis qui de cælo descen-  
dit.* Ioan. 6. *Is omnino est, Matth. 25. Fidelis  
seruus & prudens, quem constituit Dominus  
super familiam suam Matrem & filium.*  
Gen. 41. *Nunquid sapientiore, & consimi-  
lem tui inuenire potero? Quare Tu eris super  
domum meam; & ad oris tui imperium cun-  
ctus populus obediet. Qui enim Deiparam  
ac IESVM subditos fecit Iosepho; quo-  
modo non simul subiecit ei vniuersos  
eisdem subditos?*

II. Dauidi Deus. 2. Reg. 7. *Fecit nomen  
grande, iuxta nomen Magnorum, qui sunt in  
terra: Maius Iosepho, quanto Iesus & Ma-  
ria maiores.* 2. Esto sint Claves regni cœ-  
lorum commissæ Petro: At Iosepho Rex  
ipse cœlorum cum Regina. 3. Steterit ad  
iussu Iosue cap. 10. *Sol: ad Iosephi ius-  
sum Sol & Luna Iesus & Maria; idque  
semper.*

4. Apostoli acceperint Spiritum S. & *Apostolis*  
scientiæ plenitudinem. His maius accepit  
Ioseph, & citius. Psalm. 20. *Præuenisti eum  
Domine in benedictionibus dulcedinis.* 5. Et  
Maioribus, quam domus Obed. Edom. *Benedi-  
tior Obed*  
2. Reg. 6. *Cui benedixit Dominus, & omnem  
domum eius, ob Arcam receptam.* 6. Non  
plus splendoris Ioseph hauserit ab Iesu &  
Maria tot per annos; quam Exod. 24. *Clarior*  
Moyse à facie angeli per dies 40. in *Moyse*  
Sina?

Quid, quod & Tutor fuerit Domini,  
melius ac sanctus, quàm M. Lepidus Pto-  
mæi regis Aegypti, de quo *Val. Max. l. 4. c. 4.*

LII 3, Ioseph



Ioseph & Maria fuerunt illa candida lilia, inter quæ pascatur Dilectus noster, quo sanctius honorandi. &c.

IN FESTO S. IOSEPH SPON-  
si Mariæ.

Suppleuit Eucleator.

*Cum esset desponsata Mater eius Ma-  
ria cum Ioseph. Mat. 1.*

**M**issus Abraham seruus. Genes. 24. ad  
quarendam filio Isaac sponsam, cū  
Rebeccam illi Deus præparatam obtu-  
lisset; huic ingentia donabat munera; si-  
mul mater & fratres eiusdem dona am-  
pla ferebant. Ita, facta desponsatione Dei  
cum Humanitate in utero S. Mariæ, per  
Angelum paranyinphum; continuo spō-  
sa Humanitas; eiusque Mater Mariæ, ac  
frater seu cognatus sponfus Ioseph do-  
nis ingentibus sunt donati.

Super quo nos

- I. De coniugali virginitate.
- II. De Ioseph; desponsatione historica re-  
latio.
- III. Quantum id Iosepho erat; Virum Ma-  
riæ fuisse.
- IV. Quantum eiusdem honor, dici Patrem  
Christi.
- V. De eo, quod Ioseph esset vir iu-  
stus.
- VI. De profectu Iosephi ex conuictu Chri-  
sti.
- VII. De Iosephina cogitatione dimittendi  
Virginem.

P A R S I.

De coniugali virginitate.

I. **C**um esset desponsata. Fateor victus:  
Honor, amorq; Diuæ sponsæ mihi  
adeo imperat; vt ne Sponsi honorem  
præteream silentio: forte nonnullis e-  
xemplo futurus idem, ac imitationi.

Noi exempli primus autor, post Deū, <sup>Virginum</sup>  
est Sancti Ioseph: Exemplum virginis <sup>matrimo-</sup>  
Matrimonij cœpti, & obseruati. 1. August. <sup>nium.</sup>  
lib. 2. de conf. Euang. cap. 1. Exemplo vir-  
ginis & Iosephi insinuat<sup>r</sup> fidelibus coniugatis,  
etiam seruata pari consensu continentia, posse  
permanere, vocariq; coniugium, non commix-  
to corporis sexu.

2. Idem lib. 1. de nupt. & concup. cap.  
12. Cur non coniuges maneant, qui ex consensu,  
concumbere desinunt; si manserunt coniuges  
Ioseph & Maria; quia concumbere nec ceperunt?

Rationem reddit S. Ambrosius lib. <sup>Defendi-</sup>  
Virgin. cap. 6. Cum enim inuitatur conti- <sup>sur ratio-</sup>  
gium, tunc coniugij nomen adsciscitur. Non e- <sup>ne.</sup>  
nim defloratio Virginitatis facit coniugium;  
sed pactio coniugalis. Cum iungitur puella con-  
iugium est: non cum virili admixtione cogno-  
scitur. Idem huius in exemplum affert  
Iosephum & Mariam, Epist. 79. Testis est,  
inquit, Christus, materni pudoris assertor;  
quod desponsata fuerit tantummodo viro Ioseph;  
nulla tamen coniugalis coitus consuetu-  
dine, thori iura cognouerit.

Veritatem facti confirmat testimonio <sup>Et refertur.</sup>  
S. Augustinus lib. 1. de nupt. & concup. <sup>nis.</sup>  
cap. 11. Non, inquit, fallaciter dictum est ab  
Angelo ad Ioseph: Noli timere accipere Mariam  
coniugem tuam. Coniux vocatur ex prima fide,  
desponsationis; quam concubitu nec cognoue-  
rat; nec fuerat cogniturus. Nec perierat, nec  
mendax manserat coniugis appellatio; vbi nec  
fuerat, nec futura erat carnis commixtio. &c.

Idem ibidem. Omne nuptiarum bonum <sup>terramque</sup>  
impletum est in illis parentibus Christi: Proles, <sup>ratione.</sup>  
Fides, Sacramentum. Prolem cognoscimus ipsū  
Dominum Iesum: Fidem; quia nullum adulte-  
rium: Sacramentum; quia nullum diuortium:  
At voce Sacramenti late accepta. Theo-  
logia id vocat matrimonium ratum; et si  
non consummatum: estque verissimum.  
Rationes liquent supra.

De quo ego sic censeo. Cum esse ca- <sup>Id excell-</sup>  
stitas sine virginitate possit; non tamen <sup>entis est car-</sup>  
hæc si- <sup>ginitas.</sup>